Nobilissime et Ampliss. D[omi]ne.

Insigne Carmen tuum, pari ab affectu ac industria profectum, utriq: Principi, quod ne sic quidem mandaveras, obtuli, ornatum verbis quibus pro merito potius, pro amicitia debui. Respondit utriusq: nomine Imperator Pater, plurimum se debere tibi, gratias itidem habere quas maximas, quod forensibus districto negotiis placuerit in has amoe=nitates excurrere, non tam eruditioni ostentandae, quae abunde est nota, quam demonstrando in patriam et res auriacas amori ac be=nevolentiae plane singulari. Superest ut gratias agam, quas ago meo quoq: nomine vir ampl[issi]me quem de patrio turba seligere voluisti magnae humanitatis tuae vilem proxenetam. Ruborem illa mihi res incussit, cogitanti, nescio quo fato, neglexisse me nuper, afferre tibi dissertatiunculam de organis Ecclesiarum Foederati Belgii typis vulgatam, quod si confitente reo placa=bilis ades, neq: adhuc sesquihorium ista lectione perdidisti, nunc demum ut perdas petere à te audeo; atq: ut expressis rigide argu=mentis aperte significes τεῇ χαρίεσσιν, τί μοι δέον οὐκ ἐτελέσθη sententiam denique de sententiis dicere assuetus, de mea dicas, quasi è Tribunali Curiae a qua nec provocatio est. Expecto quam mox compotem me tanti beneficii facias, et castigando quoque doceas quam non inter amicitiae tuae tirones sit

Tibi Devotiss.
C. Huygens.

in castris ad Genepam
3 julii CIƆIƆCXLI.

Superscriptio erat

Mijn H.r
Mijn H.r Van Foreest
Raetsh.r in den Hoogen Raed &c.
In S'Gravenhage

Eidem.

Quo igne incalueris, nescio. Febrilem quidem illum, quem pridem deferbuisse spero, satis certus sum ejusmodi scintillas non emittere; quales in Poëmatio nuper misso agnovi lucidissimas. At enimvero praeter illas tuas in aetate jam provectali ingenii usque juveni=les flammas ignea fax amor est Patriae Patrisq:; qua non desinis tu ardere, neque haec dictare tibi dignissimas te et reipub: meditationes: ut ambigere liceat potiorne civis an Poëta habendus

© Regionaal Archief Alkmaar
685 Archief van de Familie Van Foreest, inv. nr. 70
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/3813

sis. Raptim hæc effutio, districtus pluribus negotiis, quæ in=
=cumbere soli solent, quoties exercitus in præsidia reducendus est;
quod nunc agimus. Itaq: eis paucos dies, quorum aliquot ego
Zulichemio meo impensurus eo, amplius hæc testabor, ubi Hagæ
te sanum ac valentem amplecti dabitur; quod nunc animo
et affectu facio, mi D^ne^ penitus tibi virtutibusq: tuis
addicto ac devoto. Bergis ad Zomam xv cal: Nov: xliv.

Superscriptio ut ante.

T. observantiss:
C. Huygens.

S. Nobiliss: et amplissime Vir.

Mitto ad te orationem, quam solum ejus argumentum
tibi commendari poterit. Mitto autem ut meam tibi
observantiam novo documento obsignem et apud te tester,
quantum eximiæ tuæ virtuti et eruditioni in purpurâ tuo
rarissimæ tribuam in eam etiam spem erigor, fore ut
balbutiem hominis parum assueti isti stylo oratorio et
feras et excuses, quæ tua singularis est comitas, Cœtero=
=rum Deum rogo, ut te vir amplissime, summum ordi=
=nis vestri decus quam diutissime superstitem esse velit.
in quo voto finio. Scripsi ex Musæo. Lugd: Bat:
xvij April: A° ↄcxlvj.

Amplit: Tuæ
Devotiss:
Fredericus Spanhemius

Superscriptio erat.

Nobilissimo amplissimoq:
Viro D. Joanni Foresto
Supremæ curiæ assessori
gravissimo, D° plurimum
suspiciendo Hagam.